

M. Michaelis Mæstlini

Gœppingensis, in Tubingensi  
Academia Mathematici

DEFENSIO ALTE-  
RIVS SVI EXAMINIS, QVO EX IPSIS  
FVNDAMENTIS DEMONSTRAVERAT, QVOD  
Gregorianum Nouum Kalendarium omnibus suis par-  
tibus, quibus quàm rectissimè reformatum vel  
esse debebat, vel esse putatur, totum sit  
vitiosum.

ADVERSVS

*CVIVSDAM ANTONII POSSEVINI*  
*Iesuitæ ineptissimas elusiones, quibus ipse dum Examen illud extenuat,*  
*& calumnijs carpit, non solum imperitiam & vanitatem suam prodit,*  
*verum etiam ( licet inuitus, & non cogitans ) Nouam Gregorianam*  
*Kalendarij emendationem magis confundit, & funditus euertit.*



TUBINGÆ,

*Apud Georgium Gruppenbachium,*

---

M. D. LXXXVIII.



# RESPONSIO AD

INEPTISSIMAS CALVMNIAS

CVIVSDAM ANTONII POSSEVINI IESVITAE,

quibus ipse nouum Gregorianum Kalendarium, contra

M. Michaelis Mæstlini Examen, aduersus idem

Kalendarium editum, fulcire

conatur.



DIENNIUM EST ELAPSUM, QVO

*Alterum meum Astronomicum Examen Noui Grego-*

*riani Kalendarij publicauit, quo, omisis omnibus alijs*

*Questionibus & Disputationibus, receptionem eius im-*

*pedire valentibus, vnicum illud, & quidem præ reliquis*

*primarium & fundamentale Pontificiorum argumen-*

*tum discussi, dicentium: Quòd nouum Gregorianum*

*Kalendarium tanta perfectione sit reformatum & absolutum, vt in eo omnes*

*veteris Kalendarij, multiplici imperfectione laborantis, errores non modò sint*

*sublati, sed etiam futuro tempore tanta prouidentia prospectum, vt calculus*

*ipsius nullo vnquam seculo, vsq; in PERPETVVM, vlli mutationi obnoxius sit*

*futurus. Illo igitur meo Examine ego ex ipsis fontibus, ex quibus tota hac qua-*

*estio desumenda & decidenda est, demonstraui, Nouum istud Gregorianum*

*Kalendarium hac commendatione nequaquam esse dignum: Ipsum enim om-*

*nibus & singulis hys partibus, quibus quàm rectissimè reformatum vel esse de-*

*bebat, vel esse putatur, innumeris modis tam vitiosum deprehendi, vt nihil*

*quicquam in vllò Kalendario reprehendendum occurrere possit, in quo hoc*

*Gregorianũ non etiam deficiat. Quam ob causam ipsum potius COLLVIES*

*OMNIVM ERRORVM, quàm Reformatio dicendum erat, propterea quòd*

*in ipsum, velut in sentinam, omnes omnium Kalendariorum errores turmatim*

*confluunt. Inde certitudine Astronomicarum rationum fretus & stipatus,*

*vniversos Mathematicos, qui vel primùm confecerunt Kalendarium istud, vel*

*hactenus defenderunt, audacter ad respondendum prouocare non sum veri-*

*tus, &c.*

Examine Mæstlini  
refutatur primariũ  
Argumentum, quod  
Pontificij pro noui  
kalendarij defensione  
vrgent.

*Quod meum Examen simul atq; in publicum exijt, sicut Pontificijs, præ-*

*sertim quibus Nouum Kalendarium arridebat, inexpectatissimum fuit: certò*

*enim*

Pontificij minantur  
respondum, sed ne-  
mo ipforum id præ-  
stat.

enim sibi persuaserant, nouam istam suam creaturam nullius labis insimulari, nedum conuinci posse: ita illi ipsi præcocci censura miris modis me apud sese exagitare ceperunt, quasi ego solus, præ doctissimis & celeberrimis nescio quibus Mathematicis, noui vestri Kalendarij Authoribus & Approbatoribus, mihi ceu solus sapere videri velim. Hinc ipsi sibi omnino promiserunt, mihiq<sup>3</sup> minati sunt, meas illas demonstrationes pro dignitate exceptas, & ex ipsis fundamentis, ad quæ ego (ipsorum iudicio) indoctè prouocauerim, solidè refutatas iri. Sed quid sit? Tantum inuictæ veritatis robur est, vt istorum hominum vocibus, ceu imbellium canicularum latratu, non modò non succumbat, sed etiam vltro aliquem, qui paribus viribus congregiatur, prouocet, & prodeuntem cum desiderio expectet. Sic ergo dicti mei Examinis refutationem nequaquam pauidus, sed forti animo expecto. Verùm nihil huius toto hoc biennio video, vnico scripto cuiusdam Iesuitæ Antonij Possuini excepto, eoq<sup>3</sup>, vt mox demonstrabo, longè ineptissimo. Anni quidem spacium elapsum est, quo ex quorundam relatione accepi: esse alicubi nonnullos, qui Refutationem aliquam non modò meditati sint, sed iam tum prælo typis excudendam commiserint: At nec illa toto hoc tempore, diligentier etiam habita inquisitione, ad me defertur. Isti ergo dum moras moris nectendo prodire in lucem subterfugiunt, tacitè testantur, se in conscientia sua conuictos veritati refragari non posse. Nam nisi malam fouerent causam, cur ex tot ipsorum peritissimis, sapientissimis, & cruditissimis totius orbis Christiani Mathematicis (sicut Buseus Iesuita Moguntinus thesi 170. Disputationis suæ iactanter refert) vel (si modò Papa Gregorius XIII. in bulla verū dicit) ex horum rerum peritissimis, quos ipse Papa longè antè ex primarijs Christiani orbis nationibus delegerat, & qui multum temporis & diligentia ad eam lucubrationem corrigendi Kalendarij dhbnterunt ne vnicus prodit, qui noui Kalendarij rationes explicet, eiusq<sup>3</sup> causam seriò agat. Sed tam ceteri, quàm etiam ij, quos ego illo meo scripto vel obliquè vel nominatim prouocando citauit, tacent. Quin imò ex fide dignis hominibus accepi, quòd etiam ille Mathematicus, quem pag. 2. mei Examinis perstrinxi, veritate victus in meam concesserit sententiam. Hoc idem ab alijs quibusdam fieri audio, qui licet Pontificiæ Religionis sint addicti, apertè tamen confitentur, quòd illius mei Scripti demonstrationes à nemine, quicumq<sup>3</sup> sit, & quantuscūq<sup>3</sup>, ipse sibi videatur Mathematicus, refutari possint. Adde & illud. Per fide dignos itidem mihi nunciatum est: Quendam nescio quæ magis aduersus meam personam quàm scriptum, corrasisse, sed ea, vt futillia & publicatione indignissima, esse superiorum autoritate suppressa.

Quare mei illius Examinis demonstrationes immotæ adhuc stant nec  
insul-

Quid tacendo, quidam aptè pfitendo, quidam futillia scribendo, (quæ ne publicarentur suppressa sunt) confitentur, nouum kalendarium esse vitiosum.

insultibus istorum languescunt: *Contra* verò nouum Kalendarium in omnibus suis partibus totum manet imperfectum, mendosum, vitiosum. Quod cum sit, quo quæso nouitatis amore, seu potius furoris œstro fascinati vel agitati Pontificiorum tam Mathematici, quam alij, pergunt istud suum vitiosissimum Kalendarium toti orbi, sub falsissimo exquisitissima & perfectissima Reformationis nomine tam magnificè commendare, vrgere, & obtudere? An hoc non est data opera totum Christianum orbem ludere, & ceu seruum pecus tyrannicè subiugare atq; pessundare?

Hic verò mihi quidam Antonius Possseuinus Iesuita prætereundus non est, qui alijs tacentibus (forsan reliquorum prodromus vel potius emissarius) erupit, & pro suo nouo Kalendario stare, meumq; illud alterum Examen & allatrare & arrodere conatus est. Liber eius prodijt quidem ante annum, ex officina Birckmannica, in fol. Ego tamen eum (quod vehementer mihi dolet) maturius, quàm in fine Autumni anni præteriti 1587. nec mihi comparare, nec eius copiam habere potui. Quoniam autem nihil, quod ad rem faciat, in medium fert, ego eum indigissimum responsione iudicasset, nisi simul egregium ageret calumniatorem, qui rectè ac dextrè dicta peruersè & nequiter deprauat, & hac sua versutia rerum Mathematicarum ignaris fraudulenter fucum facit, ne & ipsi veritate cognita, nouum istum ipsorum factum odisse incipiant. Ideo hinc malitiosæ eius imposturæ, mihi sunt detegendæ, & larua ipsi detrahendæ, vt palam fiat, quàm dolosè, quod refutatu sibi impossibile videt, deprauando & calumniando, eludat, ne agnita veritati testimonium dare cogatur. Sed hac ex ipsius Possseuini verbis magis fient conspicua.

Mæstlini Examé Iesuita quidã Antonius Possseuinus, conatur arrodere.

Antonius Possseuinus in Libro, qui ipsi inscribitur: MOSCOVIA, Et alia opera, de statu huius seculi, aduersus Catholicæ Ecclesiæ hostes: Et, in eius libri eo opere, quod est: De Notis diuini verbi, & Apostolicæ Ecclesiæ fide & facie, aduersus responsum Dauidis Chytræi: Sectione III. de Anni & Paschæ emendatione, Cap. X. pag. 223. sic scribit.

Quendam Michaelem Mæstlinum, qui se scribit Mathematicum Tubingensem dum nouissimè conatus est altero (vt vocat) examine à se edito Kalendarium emendatum carpere, non solum imperitiam, & vanitatem suam prodidisse, verum etiam (licet inuitum, ac non cogitantem) magis confirmasse Gregorianam emendationem.

## CAPVT X.

**E**T denique cuiusdam hæretici Michaëlis Mæstlini, qui se Tubingensem Mathematicum scribit, erupit nouissimum examē, quo Gregorianum Kalendarium conatur euertere. Contra quem quoniam ijdem, de quibus supra locuti sumus, abunde responderunt, hoc vnicum satis fuerit dicere. Nempe gloriosam illam inscriptionem, qua vniuersos prouocat ad respondendum, nisi (inquit) velint haberi impostores, aut Imperij turbatores, satis ostendere hominis ventosum ingenium, ac proinde in eius scripti recessu multò minùs esse, quàm fronte promittat. Nam vt plæraque in eo sunt putida, certè cùm fateatur, tabulas tam Alphonsinas quàm Prutenicas exactè cum cælo non congruere, cur idem de æquinoctiali termino non dubitabitur, an sit exactissimus, quem exorbitatione sua opponit medio loco in 21. Martij ex auctoritate Nicæni Concilij affixo? Veruntamen & eo conatu comprobatur ipsomet calculo Astronomico 21. diem permanere intermedium inter vtrâque exorbitationem, versus 19. & 24. dies Martij. Quamobrem Gregorianum computum astruit magis, quàm negat, confirmat quàm infirmit, ac veriore[m] illam esse omnibus alijs notationem annorum ciuiliu[m] inuitus etiam fatetur.

*Hactenus Possuinus.*

**Q**UID quaeso his Possuini verbis impudentius, quem in re manifestissima tam audacter vanum esse non pudet? Sed qui malâ studet defendere causam, eum oportet perfricta, seu potius abiecta omni fronte audacter calumniari, nam semper aliquid hæret, semper inueniuntur, qui aduersa partis rationes aut nesciunt, aut nescire volunt, aut oderunt. Quare ab isto Possuino discas, quicunq[ue], que rectè dicta te mordent, in alienum sensum detorquere voles.

*Quoniam autem contraria iuxta se posita magis elucescunt, necessitas postulat, vt paulò accuratiùs has Possuini calumnias examinem.*

Et denique cuiusdam hæretici Michaelis Mæstlini) **HÆRETICVM** me dicit. Verùm hac hominis Iesuitica scèta vox me non mordet, loquitur enim secundum stylum Romanæ curiæ, qua omnes, Catholica (vt vocant) h. e. Pontificiæ Ecclesiæ non seruientes, vt hæreticos proscribit. Pari modo alius quidam Iesuita in priuata quadam epistola me perstringens, scribit:

*Se 14-*

Se rationes Mastlini vbiquitarij refutare velle, &c. At ego contra lator, Deoꝝ ardētibus suspicijs gratias ago, quod me dignatus est eius cœtus & Ecclesia fieri membrum, in qua verbum ipsius purum, & ab omni fece humanarum vel traditionum vel argutiarum repurgatum, sonat: qua super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, cuius lapis angularis est Christus, extructa est: In qua didici ad Patrem accedere per vnicum mediatorē Iesum Christum: & quod mihi gratis, propter ipsius meritum, per fidem condonentur peccata, atq; vita aeterna me expectet. Et cum Gratia Patris sit parata, Redemptionisq; Elytron in Christo certum, Fides autem mea infirma: ideo eidem Deo gratias ago, quod in hac ipsa Ecclesia didici, Christum Deum & Hominem per Spiritum Sanctum fidem meam confirmare non saltem verbo vocali, sed & sancto Regenerationis Lauacro, quin etiam corpore suo, quod pro me in mortem tradidit, & sanguine suo, quem in ara Crucis, in remissionē peccatorum meorum effudit, qua mihi in SS. Cœna sua ipse verē & vbiqu; præsens (siquidem in ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter) exhibet: vt inde non dubia sed certa spe credere ausim, peccata mihi esse remissa, & me ius ad vitam aeternam habere. Quare si propter Christi agnitionem dicor, vel Hereticus vel Vbiquitarius: gaudeo cum Apostolis, quod dignus habeor, vt pro nomine Christi contumelia afficiar, & beatum me predicor, imò beatum me ipse Christus predicat, quod istiusmodi homines probra in me iaciunt, meq; insectantur, mentientes propter Christum.

Col. 2.

1. Cor. 5.

Matth. 5.

Contra quem, quoniam iidem, de quibus suprā locuti sumus, abunde responderunt.) Loquitur hic de Bartholomæo Sculteto, Gorlitij Senatore & Mathematico: & de Christophoro Claudio Bambergensi, Iesuita Roma degente. At Sculteti scripta ad manus meas non peruenerunt, vnico capite excepto, quod velut omnium Sculteti scriptorum nucleum Possevinus ex ipsius libro (quo, vt Possevinus ait, Scultetus aduersus vanas Protestantium obiectiones respondet, licet & ipse Scultetus inter Protestātes viuat) in istud suum opus transcripsit. Quare ex eo capite haud dubiò iudicium de reliquis eiusdē Sculteti scriptis sumi potest. Porro Caput istud diligenter examinatum, nihil cōplectitur, præterquam reprehensionem eorum, qui, vt ipse ait, corruptum Kalendarium loco correcti retinent, quasi tenebras plūs quàm lucem ament. At quod hac in re ipsum νεῖνόμενον erat (vid. Anne nouum Kalendarium correctum dici mereatur? vel anne quod promittit præstet? Scultetus intactum relinquit. Multum ergo bonus ipse fallitur, dum sibi persuadet, nudam suam asseuerationem tanta in re eius esse valoris, vt omni

Scultetus multa quidem dicit, sed valde pauca probas.

EXCE-

exceptione maior habeatur. Nullius enim autoritas tanta esse debet aut potest, vt ei absq. demonstratione hoc in negotio fides debeat. Quæ verò idem Scultetus multis sanè verbis inserit, quibus rationes politicas nouo Kalendario aduersas, extenuando magis eludit quàm refutat: ad me meumq. illud Examen nihil attinent, quia in eo nihil horum habetur. Ita nec illa Sculteti verba quicquam mearum demonstrationum infringunt, vbi dicit: Alij vaniloqui putant calculo Astronomico, aut tabulis motuum cœlestium inde accersiri scrupulum: qui sermo in primis indignissimus arbitrante se peritum esse in hac doctrina statuendus est. Opinatur enim esse id illud quod nunquam est, autem fieri potest. Hæc nihil ad me, Nam eo meo Examine conquestus non sum de iniuria perturbatarum tabularum, & interruptorum numerorum, quam omissio 10. dierum Anni 1582. & postea elisio tridui in 400. annis infert: Sed contra, ex ipso Astronomico calculo lubricitatem, imperfectionem & falsitatem tam istius elisionis, quàm totius Kalendarij demonstravi. Interim tamen miror, Scultetum ceu Mathematicum, dicere hunc sermonem indignissimum esse, & à vaniloquis ortum: Quasi verò Tabularum vsitatarum, quibus motus cœlestes Annis Iulianis accommodantur, vel cōtrà Anni moribus, &c. interruptio propter 10. dies anni 1582. & propter ternos dies in quadringenis annis, sit res nullius momenti? Sed hæc, quia nihil hîc ad me, missa facio. Quapropter falsum est, quod Possseuinus Scultetum contra me abunde respondisse nugatur.

De Christophoro Clauio Possseuinus pag. 221 sic scribit: Alij copiosè ad eius (Iosephi Scaligeri, hunc enim Possseuinus eo loco exagitat, ad quod tamen ipse pro sua eximia eruditione, si modò hominem istum dignum iudicauerit, respondere poterit) methodum, quæ non vno nomine vitiosa est (sicuti sunt plæraque alia quæ affert) atq; ad reliquas penè omnes quæ hæctenus extitere aliunde obiectiones responderunt, qui quidem totam hanc rem, vt plures annos eodem Pontifice Maximo (Gregorio XIII.) mandante, cum præstantissimis quibusque Catholici orbis Astronomis accuratissimè pertractarūt, sic iam habent in promptu, vt breui emittendæ sint in lucem. Hæc Possseuini verba de Clauio intelligenda esse, ipsemet Possseuinus declarat, sic enim ibidem in margine annotat: Christophorus Clavius Societatis Iesu insignis Mathematicus Romæ ad omnia respondit. Quid igitur Clavius contra me disputet, adhuc dum ignoro, cum liber eius in publicum nōdum prodierit. Ego verò Elephantinum istum partam, vel Clauij, vel aliorū, quem tam multo tempore parturiunt, auidè expecto.

Hoc

Scultetus plura pperam extenuando eludit, non aut refutat.

Dum moliantur, dumq; comūtur, annus (imò biennium vel amplius) est.



Hoc vnum satis fuerit dicere, Nempe gloriosam illam inscriptionem, &c. satis ostendere hominis ventosum ingenium.) Ecce egregium Artificem, quas rimas euadendi querat, ne ad rem respondere cogatur? Vt pessimam causam aliquo fuce obliniat, atq; optimam causam suspectam faciat, in personam meam inuehitur, eamq; nomine ventosi ingenij, exosam reddere conatur. Sed à ventoso Posseuino mihi summam fieri iniuriam, testari possunt omnes boni, qui me nouerunt, ad quorum candidum & apertum iudicium & testimonium ego prouoco & appello.

At inuitus ipse hinc prodit, quid ipsum & suos pungat. Nempe: Inuita veritatis certitudo ex ipsis huius negocij fundamentis agnita, sudes eis est in oculis. Verbi gratia: Quaeso quam ob causam ista vestra correctio, iam ante plures annos consarcinata, vobis ante Anni 1582. Pascha non fuit publicanda, cuius tamen receptionem mox postea, etiam contra Papae vestri in plures annos Indultum, tanta seueritate vrgeri cepistis? Quanam causa est, quod eiusdem correctionis rationes, ab Authore Lilio multoties promissa in hodiernum vsque diem lucem fugiunt? An non ea vel prius, vel certe vnà cum ipsa Kalendarij publicatione erant offerenda, si modò aliquid candoris vestro inesset pectori, quo Christianum orbem rationibus potius persuasum ad receptionem eius inuitaretis, quam ceu seruum pecus sub excommunicationis poena cogeretis? Causas hasce neminem nostrum subolfacere posse sperastis. At dilatae introductionis Kalendarij causa nulla perfectò est alia, quam, sicut pag. 53. mei Examinis exposui, putida vestri Kalendarij falsitas, quae illo ipso anno sese turpiter prodidisset, eo, quod Paschalem Dominicam, contra amplissimas suas pollicitationes & protestationes, in locum erroneum, seu (si vobiscum loqui velim) in locum haereticum abiecit. Pascha enim eius anni inciderat secundum uouos eius numeros in ipsum diem plenilunij, quo cum Quartodecimanis haereticis vobis Pascha fuisset celebrandum. Maluistis ergo publicationem differre, quam primo statim initiationis limine falsitatem eius prostitueno, totum opus ridendum & explodendum exponere. Ita Librum illum, qui omnes Reformationis rationes contineat, nullam aliam ob causam tam diu suspenditis, quam quod scdis-simorum noui Kalendarij errorum conscios vos pudet vestram vel inscitiam vel temeritatem prodere. Satiùs ergo vobis videtur, Kalendarium inuitis tyrannicè obtrudere, quam de certitudine (quae in vestro putidissimo Kalendario nulla est) rectè informatis, et inde, volentibus offerre: Ea spe freti, bonam Germanorum simplicitatem (vt Posseuini verbis pag. 221. vtar) tantum eruditionis non habituram, vt in fundamenta corruptionis vestrae, priusquam

Posseuino & suis, veritatis certitudo patefacta, sudes est in oculis.

viam eius vos monstraveritis, inquirere possit. At spe vestra frustrati, tabescitis invidia, quod fraus & malitia vestra resecta est, iam dolet vobis, quod agnoscimus, quàm dolosè Christianū orbem circumvenieritis, qui longè falsissimum (proh pador) & erroribus refertissimum Kalendarium, sub specie perfectissima & in PERPETVVM duratura Reformationis, obtruditis. Quid responderis vel tu, vel tui complices?

Quare vtut gloriosa tibi videatur Examini mei inscriptio, multorum tamen bonorum testimonio ipsa hunc effectum consecuta est, quod passim vestris elusionibus & calumnijs non est habita fides, & haud dubiò multis locis vestra hac corruptio (correctio dicenda erat) denuo sublata esset, nisi tyrannide Regnum vestrum fuisset stabilitum.

Ac proinde in eius scripti recessu multò minus esse, quàm fronte promittat. Nam vt plæraq; in eo sunt putida. ) Mi Possesine, vbi frons, vbi candor tuus? Quòd si bonos, quibus veritas cordi est, non vereri voluisses, an non metuisti ingens auctoritatis tuae naufragium apud tuos complices? Quis quæso te magnifacere potest, qui te in re manifestissima, si modò eam intelligis, tam audacem & proteruum calumniatorem agere cernit: aut si mathematica non intelligis, quòd te ipsum Asinam ad Lyræ prodere non pudet. animaduertit? Hæc à me verissimè in te dici, accipe paucis.

Examen Mæstlini in recessu non habet pauciora, quàm fronte promittat.

Examini mei inscriptio promittit demonstrationem aduersus nouum vestrum Kalendarium, quòd ipsum omnibus suis partibus, quibus quàm rectissimè reformatum est (esse debebat) vel esse putatur, multis modis mendosum, & in ipsis fundamentis vitiosum sit. Hoc ego, Possesine, tibi tuisq; Mathematicis, quos propterea non absq; causa ad respondendum protocaui, per omnes & singulas partes ad oculum demonstraui, adeo vt nihil sit reliqui, in quo illud vestrum Kalendarium non sit enormium errorum conuictum. Quæ si non intelligis, aut intelligere non voluisti, hæc summatim repetam.

I.  
Kalendarium nouū falsò iactat, quòd æquinoctium vernum in die 21. Martij permaneat.

I. Nouum vestrum Kalendarium pollicetur æquinoctij verni reductionem in 21 diem Martij, hæc adhibita diligenti cura, vt ipsum ab illa die, velut à propria & fixa sede NVNQVAM vsq; in perpetuum possit recedere. Ego verò totum hoc à veritate alienissimum esse luculenter demonstraui. Cum enim Tabule motuum, quæ iam extant, & ex quibus nouum Kalendarium extractum est, in quantitate periodicorum motuum vacillent, ædificium superstructum haud firmam vel perpetuum esse potest. Sed de Tabulis, contra quas Possesinus instat, paulò post. Inde tridui elisionem in 400. annis, qua speratur æquinoctium vernum in 21. die Martij retineri posse, procul à cælo abesse proba-

probavi. Nam Prutenicarum Tabularum calculus docet, æquinoctia nequaquam equaliter anticipare, etsi enim annis 134. motu medio vno die ascendant, vero tamen motu interdum 304. anni postulantur, interdum 84. anni sufficiunt. Hac anomalia cum in nouo kalendario non obseruetur (ipsum enim hanc æquinoctialis diei anticipationem non aliter, quam motum aliquem medium numerat, non vlla adhibita equatione, qua re in Astronomicis vix quicquam est absurdus) quomodo æquinoctij dies retinebitur perpetuo in die 21. Martij? Et licet sanè huius Anomalie periodica quantitas, qua in Prutenicis Tabulis definitur, cælo non exactissimè satisfaciatur: ipsa tamè Tabula propterea non sunt prorsus abiiciendæ, vniuersali enim obseruationum antiquissimarum & recentissimarum, nec non intermediarum, diligenter inter se collatarum, experientia deprehenditur, huius Anomalie qualitatem egregiè cum cælo congruere, sicut eandem etiam Copernicus lib. 3. Reuol. demonstrat. Cum igitur huiusmodi Anomaliam æquinoctijs inesse constet, licet absoluta eius quantitas nonnihil adhuc lateat incognita: rei indigentia requirit, vt interim iudicio Tabularum cum cælo magis congruentium stemus, quamdiu perfectioribus tabulis destituimur. Porro hanc decuisset ab Authoribus kalendarij noui plenissimè indagatam fuisse, videlicet per nouas obseruationes. Tum enim confidentius de perpetuitate sui kalendarij gloriari potuissent. Hoc autem factum non esse, turpe ipsis est, turpius verò, quod eandem prorsus neglexerunt, vel fors omnino ignorarunt. Perfectiorum igitur tabularum calculus docet, ipsumq; cælum comprobat, æquinoctium vernum nequaquam in 21. Martij detentum iri, sed ex eo (quemadmodum illo meo Examine ostendi) in 19. 20. 22. 23. 24. 25. 26. & 27. dies Martij descensurum. Etenim (sicut ibidem demonstraui) illud ipsum maiori parte presentium annorum non in 21. sed 20. die Martij, contra quam Author kalendarij, & vos vnà cum ipso vanissimè gloriamini, inuenitur. Et licet Anno 1700. elisio diei intercalaris nonnihil huius videtur restituere: nihil tamen, nisi error errore alio, compensabitur, nam ibidem æquinoctia plurium annorum in diem 22. transcendent. Sic Anno 1900. 1905. 1906. 1907. eiusdem æquinoctij locus futurus est dies 22. & 23. Martij. Vbi hic vester 21. dies Martij?

In Tabulis Prutenicis reprehenditur non qualitas Anomaliarum, sed quantitas, h. e. Non dubitandum est, an in æquinoctijs sit aliqua anomalia: sed quanta sit, seu quousque extendatur, queritur.

Authores noui kalendarij æquinoctiorum anomaliam penitus neglexerunt.

Præterea licet æquinoctij dies hoc quidem seculo, sit vt plurimum in 21. Martij, sed est tamen eius iuxta motum medium, h. e. locus æquinoctij medius nequaquam est dies 21. Martij, quod, tu Posseniune, ex meo scripto nimis malitiose (vt infra demonstrabitur) extorquere conaris, sed medius locus eius est dies 23. Martij. Ab hoc ergo 23. die, harmonia motuum ex tabulis, & vniuer-

Medius locus diei æquinoctialis non est 21. sed 23. Martij. Et ab hoc exorbitat æquinoctia quattuor ante & post.

fali obseruationum experientia contestante, verum æquinoctium potest toto quatrinduo precedere, & quatrinduo sequi. Nam anomalie Solis annue prosthaphæresis maxima duos gradus excedit: præcessionis autem æquinoctialium punctorum prosthaphæresis sesqui gradus ferè æquat, quæ coniunctæ quatrindui motum Solis conficiunt. Hæ duæ prosthaphæreses, prout nostro seculi se habent, faciunt æquinoctium verum nunc prius esse medio duobus diebus, atq; sic in 21. diem Martij incidere. Verum Apogei Solis descensus versus Libram, submouebit hoc idem æquinoctium ex hoc loco, & paulatim deducet in dies sequentes, vsq; in diē 27. Martij. Nam annua solaris anomalie prosthaphæresis, quæ hoc quidem seculo die æquinoctij verni est ablatiua, & ferè maxima, paulatim attenuari incipit, donec tandem omnino annihiletur, postea verò mox rursus incrementa sumet, sed sub titulo additionis. Hæc, Possuine, in eodem meo examine monstravi. Quibus illud quoq; addidi, quòd hoc vernum æquinoctium ab hinc vsque ad Annum 4700. (si modò Mundus tam diu durabit, quod sanè vestrum kalendarium quasi certum præsupponit, ipsum enim nullum nonissimum diem Aduentus Christi ad iudicandum viuos & mortuos credit) non nisi interdum in 21. Martij incidet: At contra vt plurimum extra eundem vagabitur, nec exorbitationis suæ medium locum habebit diem 21. Martij (quod meo Examine tu aut stolidè, si rem non intelligis, aut mera calumniandi libidine, si rem nosti, assignis) sed medius locus ab annua solari anomalia definitus, est 23. Martij: quæ autem exorbitatio ab æquinoctiorum anomalia illi priori superaccedit, ea medium locum iam habet 21. Martij, sed paulò post habebit 22. mox 23. inde 24. tandem 25. diem Martij, cuius gratia verum æquinoctium à singulis horam tam in præcedentiâ, quam in sequentiâ, biduo nutabit. Quando autem ad annum 4700. peruentum fuerit, ibi tum per totos centies centenos in 21. Martij nunquam reuerti poterit. Ecce quàm fixam & firmam sedem æquinoctium vestrum habeat in die 21. Martij? Hoc ne. Possuine, minus est in scripti mei recessu, quàm fronte eius promittitur? Nec est vt in tabulis dubijs aliquod diuerticulum queras, Nam vt dixi, etsi de anomalia huius quantitate dubitari possit, vniuersalis tamen experientia obseruationum, nostro hoc tempore habitarum, adeo nihil patrocini vobis præstat, vt ipsa noui kalendarij numeris multò magis, quàm Prutenicarum tabularum calculus, sit contraria. Ea enim euidenter indicat, quòd æquinoctium sedem suam multò minùs figat in 21. Martij, quàm vsitata quacunque alia tabulæ permittunt, sicut propediem, Deo dante, alio scripto demonstrabo. Pudeat ergo tuos illos, quicunq; sint, sapientissimos Mathematicos, quòd hanc

pag. 17.

Æquinoctium verum raro in 21. Mar. est. Et post aliquos años fiet, vt p. 10000. annos in 21. Martij non possit redire.

anomaliam nescientes, tam impudentissimè de certissima equinoctij sede, ad quamcunq; anni Solaris magnitudinem accommodata (sicut Papa in Bulla loquitur) gloriari non erubescunt.

Huc pertinet & illud. Cum debebat noui kalendarij calculus tam præteritis quam præsentibus & futuris temporibus esse congruus: ipse tamen præterita temporaturpissimè fallit. Retractus enim ad Annum (verbi gratia) 1200. inuenit equinoctium, non in 21. sed 19. die Martij. Imò calculus iste vester, quem gloriæ ministram Nicani seculi restituere, in illius seculi habitudine nimis præteruè, seu potius nimis ridiculè impingit. Etenim ipso sic tradente, equinoctium vernum, contra manifestam experientiam, vestrasq; toties reiteratas vociferationes, reijcitur non in 21. sed in 20. Martij. Et quòd etiam hoc ipso fœdius est, calculus vester stolidissimè in monstrandis diebus Septimana toto cœlo errat, nam ex die Luna illius seculi facit diem Solis, & qui dies Solis fuit, ipse diem Sabbati nominari vult, & sic consequenter. Anne turpior nota, mi Possesine, putidissimo vestro kalendario inuri posset? Vides ergo, quòd in primi Capituli mei Examinis recessu non minus sit, quam fronte eius promittitur, & quòd ea non sint putida, nisi putidum videatur, quatenus tibi tuisq; ex ipsis fundamentis apertissimè demonstratum est, vestrum kalendarium nimis esse putidum, cuius merito te tuosq; istos sapientissimos Mathematicos pudere debebat.

2. Nouo Kalendario proponitur Epactarum cyclus, qui ea certitudine ad quamcunq; anni solaris magnitudinem sit accommodatus, vt omnia, quæ in kalendario collapsa sint, constanti ratione, & seculis omnibus duratura sic restituant, ne ipsum Kalendarium vlli vnquam mutationi in posterum expositum esse videatur, &c. Epactarum autem illarum duo vsus promittuntur, quorum priore dies Nouiluniorum indicentur: altero verus Paschalis terminus determinetur, hoc est, is dies definiatur, quo primum plenilunium proximè sequens post equinoctium vernum verum, contingat.

At ego contra, meo illo examine inuicticissimis rationibus demonstraui, Epactas istas cum cœlo rarissimè consentire, sed vt plurimum ab eo enormiter aberrare. Etenim Nouiluniorum dies, quas Epacta se monstraturas promittunt, à cœlo tam medijs, quam veris motibus vt plurimum vno die, saepe toto biduo, distant. Exempli loco recensui nouilunia Annorum 1584. 1585. 1586. eorum scilicet qui primam noui Kalendarij publicationem immediate sequebantur, quibus vtique conueniebat Epactas suum facere officium. Ipsæ verò nec in his naturam Scoparum, quæ dum noua sunt, lenè verrunt, sequuntur. Et

pag. 11.

Nouū kalendarium præteritis temporibus præsertim Nicani Concilij seculo, nequaquam congruit. Nescit n. quis dies septimanae fuerit dies Solis vel dies Lunæ, &c.

II.

Epactæ noui kalendarij sunt falsissimæ.

Epactæ non possunt veros dies Nouiluniorum indicare.

pag. 18. 19. 20.

Pag. 20.

Epactæ in illis ipsis mensibus, quibus noui Kalendarij receptio mandata fuerat, & quos Author eius ipsemet exempli loco, pro intelligendis canonibus suis, citat, turpiter errant.

quod valde ridiculum est. Noui Kalendarij Author ad explicandos canones suos, Canone 2. exempli loco citat nouilunia mensum Octobris, Nouembris & Decembris anni 1582. Quis hic certitudinem Epactarum, vel fidelitatem Authoris in dubium vocaret, quandoquidem illis ipsis mensibus publicatio istius Kalendarij promulgata est? At horum quoque nouiluniorum omnium & singulorum Epacta à veritate cœli integro die deficiunt.

Vides, Possuine, quàm languidi sint numeri Kalendarij tui in ipso primo inaugurationis vestibulo? Cum igitur dimidium facti (vt dicitur) qui bene cepit habeat: quid certitudinis futuro tempore de vestro kalendario pessimè cepto sperari poterit?

Alterum Epactarum noui kalendarij officium itidem multis modis vitiosissimum esse demonstraui. Primò enim earum calculum diduxi in annos 200. ab Anno 1500. ad 1700. quorum magna pars publicationem kalendarij proximè præcessit, ceteri anni immediatè subsequuntur. Quare si Epacta vllibi, certè hic, vires suas exerere debebant. Sed quid sit? In his ducentis annis Epacta ista non tantùm semel atque iterum, sed vltra centies deprehenduntur falsæ, paschali suo termino à vero termino (sive iuxta medios, sive iuxta veros motus computato) aberrantes vel vno die, vel biduo, vel etiam integro mense. Habes, Possuine, rursus dimidium facti puditissimi tui kalendarij. Quare ad hæc nihil respondisti?

Deinde Epactarum istarum sædissimam absurditatem demonstraui ex eo, quòd ipsæ contra vniuersalem experientiam, contra harmoniam motuum cœlestium, & contra proprium vestrum intentum, æquinoctiorum progressum, & inde alium regressum fingunt. Quod videre est in Epactis (verbis gratia) Aurei numeri 17. Eæ ab anno 2200. ad 2300. faciunt terminum Paschalem diem 18. Apr. Ipsæ ergo id plenilunium, quod hys huius aurei numeri annis vicinum est æquinoctio, statuunt ipso æquinoctio prius, h. e. Lunam fieri plenam antequam Sol in æquinoctium ingreditur. Inde verò ab Anno 2300. vsque 2400. terminus Paschalis fit dies 21. Martij. Ergo calculo isto innuitur, quòd æquinoctium velociori sua anticipatione tum superauerit illud plenilunium, h. e. quòd Sol æquinoctij punctum consequatur non amplius potest, sed antequam Luna plenilunij positum habeat. At rursus ab Anno 2400. ad 2500. terminus Paschalis denuo fit 18. Apr. Quo innuitur, quòd illis huius eiusdem aurei numeri annis, æquinoctium retrogradum fiat, & rursus fecerit Lunam prius fieri plenam, quàm Sol in æquinoctiale punctum ascendat. Eodem planè modo similis regressus æquinoctiorum fingitur in annis Aurei numeri 12. Is enim ab

Anno

Pag. 22. 23. 24. 25.

Epactæ non possunt diem plenilunij Paschalis determinare.

Epactæ in 200. annis vltra centies sunt falsæ.

Pag. 28.

Epactæ retrogradationem æquinoctiorum ineptissimè fingunt.

Anno 3400. ad Annum 3500. terminus paschalis iterum est 18. Apr. Inde vero ab Anno 3500. ad 3600. idem terminus est dies 21. Martij. At ab Anno 3600. ad 3700. terminus iste rursus retrahitur in 18. Aprilis. Quid (proh pudor) hac absurdissima, & ab omni regularitate motuum cœlestium alienissima retrogradatione, absurdius effingi potest? Quare nouum Kalendarium rectè putidissimum dici meretur.

Præterea multoties fieri necesse est, vt aut secūdi, aut etiam postremi mensis Anni Ecclesiastici plenilunium, pro termino paschali, h. e. pro plenilunio primo post æquinoctium vernum assumatur, idq; cum propter alias, tum maxime propter hanc causam, quòd æquinoctium non in 21. Martij habere potest, sed à 19. vsq; in 27. eiusdem vagum est.

pag. 29.  
Epactæ multoties  
mensẽ plenilunij  
paschalis nesciunt.

Insuper quid certitudinis, seu potius qui crassissimi errores toti Epactarum calculo insint, ego ex ipsa origine Tabulæ Aequationis Epactarum demonstraui. Quam etsi Lilius, primarius Kalendarij Author, subdolè occultare studuerit, ipsa tamen in hoc studiorum genere versatos latere non potest. Quòd si compositionem & genesin eius spectes, proh quàm palpabiles errores in ipsis eius fundamentis, quibus Author vsus est, falsissimis offenduntur? Lunationum anticipatio, cuius gratia Epactarum æquatio postulabatur, conficit vnum diem annis 304. ferè. Author verò, cum non vellet istos annos, nisi per centenarios distribuere, quatuor istos annos, qui vltra 300. residui sunt, tam diu negligit, donec & ipsi vnum centenariũ complent, atq; tum pro 300. numerat 400. annos. Verùm in vna huius centenariæ æquationis periodo Author inertiam suã nimis ridiculè prodit. Cum enim vna periodus ad minimum vicies quinquies trecentenos annos exigat: Lilius tamen vester eam totam complet (sicut ex compositione istius tabulæ liquet) ab anno 1400. ad 3900. vel ab anno 1800. ad 4300. hoc est, pro vicies quinquies trecentenis ipse saltem vicies quinquiescentenos computat. Item intra annum 300. & 1400. vel 800. & 1800. itidem vnã integrã periodum huius æquationis absoluit, quibus non plures anni intersunt, nisi decies vel vndecies ceteri. Nec crassissimo hoc errore, falsam eãq; diuersam periodum huic anomalie ascribendo, contentus est, sed alium grandiorẽ superaccumulat. Nam intra annum 300. & 800. vnus dies anticipatiõni, non ascribit 300. aut 400. sed contra omnem rationem totos 500. annos, quasi illi 4. anni, vltra 300. residui, tantillo tempore, à principio annorum Christi ad annum 300. postularent æquationis nomine totos ducentos annos, cui alioqui in 7500. annis, vnus tantum centenarius debetur. Porro his 500. annis Author haud dubid voluit Epactas suas conformes facere Aureo numero Dicani seculi. Verùm ipse nimis imprudens nescit, aut nescire voluit, quòd nec illi

pag. 35. 36.  
Origo & compositio  
adeoq; fundamenta  
Tabulæ Epactarum  
in nouo Kalendario  
sunt vitiosissimæ.

ipsi seculo Aureus numerus vsitatus satisfaciat. Ecce quàm egregius Mathematicus sit vester Lilius, vnus & quidem praeipuus ex Sapientissimis totius orbis Catholici, seu Pontificiae Ecclesiae Mathematicis: scilicet. Quod cum sit, quid certitudinis putas, Possuine, isti aequationis Epactarum tabula inesse, cuius tam putida est genesis?

Ad haec, quoniam crebris vociferationibus continuè obgannitis: kalendarium nostri seculi ad statum Niceni Concilij seculi reformandum, & quidem vestra opera restitutum esse: oportebat vtique, Epactas istas, praesertim quae ceu correctas Author ad anteaeta tempora extendit, cum Nicano seculo congruere, idque eò confidētius, cum ipsemet Author in dicta Tabula, Niceni Concilij tempus, videlicet annum 320. exprimat. Ego verò contra, assumendo eisdem seculi vnum Aurei numeri circulum, videlicet annos 19. ab Anno 323. ad 341. quibus nimirum Concilium Nicenum celebratum est, demonstraui, istas Epactas longè falsissimas esse: Eae enim in dictis 19. annis mōstrando terminum Paschalem, decies octies falsa deprahenduntur, non vno tantum die, sed interdum etiam biduo aberrantes. Et licet aliqua medela adhiberi posse putetur, nihilominus tamen multoties impingitur. Vides denuo, Possuine, quàm putidum sit kalendarium tuum: nisi tibi nihili videatur, ipsum in 19. annis decies octies esse falsum: Et nisi e contra putidum tibi videatur, crassissima haec vitia, in vnam kalendarij tui Tabellam congesta reuelare, putidamque eius & nimis carinosam constructionem detegere. Interea tamen vanitatis tuae te pudeat, quod scribis, minus in scripti mei recessu esse, quàm prima fronte promittatur.

3. Novum kalendarium sic reformatum predicatur, vt Pascha quotannis celebrandum veniat die Dominica sequēte illud plenilunium, quod immediate proximum est post equinoctium verum verum. Ego autem contra meo illo scripto, adductis tam rationibus ex ipsius negocij huius fontibus, quàm multis exemplis, demonstraui, quòd nouum kalendarium enormiter in omnibus, quaecumque hic vitanda fuerunt, impingat, atque sic nihil minus in recessu habeat, quàm fronte promittit.

Etenim 1. Iuxta calculum eius, Pascha saepenumero in ipsum plenilunij diem incidit. Agetis ergo Pascha cum Quartadecimanis. Hoc autem Authori kalendarij hereticum est. Hereticus ergo & ipse est, Hereticum ipsum kalendarium. 2. Eiusdem vestri kalendarij calculus Epactarum saepe postulat Pascha ante plenilunium Paschale celebrari. Quòd si prius hereticum sit: hoc multò atrocius peccatū erit. Hinc ipsemet Author hoc nominat absurdissimum peccatum, licet in eo kalendarium suum grauiter delinquat. 3. Pascha ali-

quoties

pag. 29. 33. 39. 40.

In illis 19. annis, intra quos Nicenum Concilium celebratum est, noui kalendarij Epactae decies octies deprahenduntur falsae.

III.

Nouum kalendarium determinando Paschate, in omnibus impingit, in quibus possibile est vilo calculo impingi posse.

pag. 43.

Pascha noui kalendarij saepe in ipsum plenilunium incidit.

pag. 44.

Saepe venit celebrandum ante plenilunium.



quoties in ultimam Luna quartam, h. e. non in primam, sed secundam Dominicam post plenilunium paschale, cadit. 4. & 5. Sæpe numero accidit, vt nouum kalendarium ab ipso plenilunio paschali aberret, assumendo plenilunium non proximum post æquinoctium vernum, sed vel secundum sequens, vel proximè præcedens. Cum autem id plenilunium, quod secundum sequitur post æquinoctium, sit secundi mensis anni Ecclesiastici plenilunium; hoc verò quod præcedit, ultimo mensi prioris anni, tum nondum finiti debeat: accidit, vt Pascha sæpe non in primo, sed vel in ultimo prioris, vel in secundo sequentis anni mense celebrandum veniat. Ipsum ergo non raro quatuor vel etiam quinque integris septimanis verum suum locum vel anteuertet, vel tardius subsequetur. 6. Quin & ipsam æquinoctij diem aliquoties præcedet Dominica Paschalis. Atque tum futurum est, vt non modo in vno Ecclesiastico, sed etiam politico anno, intra bina æquinoctia duo Paschata veniant celebranda, in alio verò nullum. 7. Et si sanè aliquoties accidat, vt noui kalendarij pascha, à limite sibi constituto, non aberret: Hoc tamen nequaquam certitudini calculi ipsius, sed vt plurimum soli fortuito casui, seu lubricitati fortune ascribendum est. Epacta enim, vt antè dictum, vt plurimum fallaces sunt, falsosq; terminos paschales pro veris obtrudunt. Quid certitudinis ergo ab eis expectari potest, nisi quòd quantum in ipsis est, falsam etiam diem Dominicam ipsi paschati assignent?

Quòd si noui kalendarij numeri in annis Nicani Concilij examinentur, videlicet ab Anno 322. ad 341. ipsi deprahenduntur Dominicam Paschalem intra illos annos, ter in ipsum plenilunium reponere, semel item ipso plenilunio priorem efficere. Ecce hæc est concordia putidissimi vestri kalendarij cum Concilij Nicani seculo. Et quòd non etiam in reliquis annis illorum 19. annorum Dominica erronea pro vera notatur, casu fortuito fit, cuius causa non ascribenda est certitudini numerorum kalendarij, siquidem Epactas in ijs 19. annis decies octies à termino paschali vero aberrare paulò antè dictum est. Nec est, vt isti rei medela adhibeatur, nam aut fundamenta nihilominus vacillant, aut in grauiora absurda impingitur, videlicet quòd Pascha etiam à die Dominica aberrat.

Hæc sunt, qua in illo meo Examine euidentissimis & rationibus & exemplis demonstraui. Quibus omnibus manifestum euadit, quòd nihil quicquam supersit, in vllò kalendario repræhensibile, in quo fœda hæc vestra Chimæra non multipliciter, enormiter, palpabiliter, turpiter peccet. Vnde eam verè colluuiem Errorum dicendam non dubito. Vides ergo, Possesine, quàm turpiter te dederis, quando te non puduit, inuictissimis rationibus demonstrata puti-

pag. 44.  
sæpe in secundâ Dominicam post plenilunium paschale cadit.

pag. 45.  
sæpe vno mense vel citius, vel tardius celebrabitur pascha.

pag. 45.  
sæpe ipso æquinoctio prius erit pascha.

pag. 46.  
Pascha si in locum cõuenientem incidit, fit id vt plurimum non certitudine calculi, sed tantum fortuito casu.

pag. 47. 48. 49.  
Nouum kalendarium in indicâ de paschate tẽpore Nicani Concilij, aut enormiter errat, aut forte fortuna scopum attingit.

Pag. 7

da dicere, & eousque extenuare, quasi in recessu mei scripti multò minus sit, quàm fronte promittitur. Vel: hoc ne putidum tibi videtur, quòd ego & kalendarij Authorem, & ipsum Papam Gregorium XIII. insimulo, eos sub Reformationis prætectu aliud quidpiam quaesuisse, illum scilicet inanem nominis sui gloriam, hunc autem obliquam suorum decretorum in Ecclesias nostras insinuationem &c? Nam crassissimos istos, tamq̃ multiplices errores vtrique ipsorum fuisse incognitos verisimile non est. Si enim pia & seria Reformatio ipsis cordi fuisset: non puduisset ipsos, eiusdem rationes & hypotheses, tot magnificis verbis promissas, publicare, quas tamē iam nunc post kalendarium per vim intrusum toto sexennio in occultis abscondunt: Nec distulissent promulgationem kalendarij in finem anni 1582. Nec Author canonum suorum vsus docendo, abstinuisset à Concilio Nicano: nisi in omnibus istis vitiosa imbecillitatis kalendarij fuissent conscij. Vel, forsan putidum tibi videtur, quòd ego aliquoties ad conscientias Mathematicorum vestrorum, host tam putidos & intollerabiles errores aut non aduertentium, aut contra conscientia propria testimonium, mera detestabilis adulationis causa reticentium, appellavi, & adhuc appello, nonnullosq; eorum nominatim perstrinxi? Certè, Possuine, si sic affectus es, helleboro curandus videris.

Certè cum fateatur, tabulas tam Alphonsinas, quàm Prutenicas exactè cum cœlo non congruere, cur idē de æquinoctiali termino non dubitabitur, an sit exactissimus, quem exorbitatione sua opponit medio loco in 21. Martij, ex autoritate Nicæni Concilij affixo. ) Iam nunc rationibus mecum Possuinus decertare velle videtur. Mihi enim obijcit: Cum initio & Alphonsinas & Prutenicas tabulas rejiciam, propterea quòd cum cœlo exactissimè non congruant, quomodo ergo postea ad Prutenicas tabulas appellare, & earum autoritate æqualem anticipationem, in nouo kalendario positam, infirmare possim? Si enim tabula in vniuersum sint fallaces, quomodo de certitudine exorbitationis æquinoctialis diei à loco medio, qui ( ipso dicente ) est 21 Martij, quis certus erit? Ego verò respondeo. His verbis dum, Possuine, meas demonstrationes labefactare conaris, tu kalendarium tuum prorsus prosternis, & propria confessione, etsi iniustus, totum subuertis. Etsi sanè fatear tam Prutenicas, quàm Alphonsinas tabulas, cum cœlo non exactissimè congruere, hoc tamen non de qualitate anomalie huius ( que in presentia ad æquinoctiorum anticipationem refertur: ) sed de quantitate accipitur, sicut ex ijs patet, que supra dicta sunt. Nam æquinoctijs inesse anomaliam certo certius est. Et hoc ipsum Possuinus quoq; confitetur

Æquinoctiorū motui inesse anomaliam Possuinus ipsemet negare non potest. Cur ergo non reprehendit noui kalendarij Authores, quòd eam non exquisitissimè inuestigarunt: aut

tetur, exorbitationem enim non negat, utpote observationum certitudine & demonstrationum robore conuictus (si modo in Mathematicis quicquam intelligit, & tela non ex aliena pharetra depromit) sed an terminus is, ex Prutenicis tabulis determinatus, sit exactissimus, quarit. Quid igitur aliud Possseuini verba in recessu habent, quam apertam kalendarij condemnationem, propterea quod in eo omnis & tota hac inaequalis anticipationis aequinoctiorum anomalia ignoratur, quam tamen exactissime definiuisse, obseruasse, & explicasse debebat? Quare etiam ipsius testimonio nouum kalendarium in re manifesta enormiter à cælo deficit, & fundamenta habet nullius planè momenti, erronea, & falsa. Quod idem iudicium Authores eius quoque implicat. Nam si dicta hac anomalia ipsos latuit, Mathematicorum augustissimo nomine propter stupendam inscitiam, indignissimi sunt, atque totum kalendarium vnà cum ipsis extirpandum. Sin anomalia hac ipsos non latuit: cur perfectissimam & absolutissimam Kalendarij restitutionem iactant, quam in hoc fundamento ab ipso cælo sciunt deficere? Cur quantitatem huius anomalia ipsi coniunctis viribus & operis per nouas diligentes & exquisitissimas obseruationes non inquisiuerunt? Aut si hoc ipsis labori fuit, (quod turpe est de eis dicere) quare eandem ex tabulis cum cælo quam optimè, præ reliquis, congruentibus desumptam, kalendario suo non applicarunt? Quæ in re ipsi aut extrema negligentia aut versuta malitia crimine non vacant. Quæ cum in Authoribus desiderentur, quid de opere ipsorum erit sentiendum?

Et quod amplius est. Quas motuum tabulas Author kalendarij noui secutus sit, Posssevinus quoque indicat. In epistola enim ex Roma ad Regem Poloniae, & alio quoquam versus scripta, quam Posssevinus suo scripto interferit, cap. 6. pag. 219. scribitur, quod nouum kalendarium sibi anni Alphonfini mensuram proposuerit, quæ inter varias media sit. Alphonsi enim tempore (ut idem Posssevinus cap. 2. pag. 209. refert) anni mensuram diligentius esse expensam. Ex his demum alia lubricitas, inconstantia & nullitas fundamentorum kalendarij patet. Nam eius Author Anni dimensionem non modo non per recentissimas obseruationes inuestigauit, quod utique ad perpetuum opus faciendum, factum esse debebat (in rectificando enim calculum Astronomicum posterior dies semper est prioris Magister.) Nec etiam alias tabulas cum cælo veriùs consentientes sequi dignatus est: Sed tabulas antiquas, obsoletas, à cælo multipliciter aberrantes voluit esse kalendarij istius fundamentum. Quæ in re fateor sanè, me tantam imprudentiam, inscitiam, ne dicam vesaniam, in Authorem Kalendarij cadere potuisse, non crediturum fuisse, nisi id ipsum propria

certè, nõ secuti sunt tabulas, in hac re, cum cælo pleniùs correspondet

Ergo nouum kalendarium falsum est, quæ ex fallacibus tabulis extractum.

ipforum confessione esset prodicium. Vnde video me in meo illo Examine plura largitum esse certitudini ipsius, quàm par vel opus erat.

Porro quid de Alphonsinarum Tabularum multipliciter fallacibus numeris sit sentiendum, testantur communes omnium Mathematicarum scholarum querela. Hoc vnum sufficit dicere: quòd ipsa ab omnium Artificum observationibus manifestissimis nimium deficiunt. Vt: Apogæum Solis, quod Ptolemæus sua ætate in 5. cum dimidio gr. Geminorum inuenit: ipsa nimis imprudenter in 13. cum dimidio gr. II, detrudunt. Sic idem apogæum Solis, quod Copernicus in 6. cum duabus tertijs gr. Cancri deprahendit, ipsa in 1. gr. Cancri, reijciunt. Cetera innumera hic transeo. Quare falsissimum est, quòd Alphonsi ætate anni dimensio diligenter sit expensa. Etsi bonus Rex Alphonsus ingenti sumptu motuum tabulas restaurari voluerit, 40. mille aureos insumendo, effectus tamen intento & liberalitati ipsius non respondit. Hinc imperfectioni earundem tabularum ipsi Authores diffidentes, tabulas illas nudas, absq; omni demonstratione (sicut etiam iam in noui kalendarij publicatione eandem ob causam idem fit) imò absq; canonibus, ediderunt. Ecce hæc sunt noui kalendarij fundamenta. Vides Possuine, kalendarium tuum proprio tuo gladio esse iugulatum.

Nouū kalendarium nullo planè fundamento nititur, quia nec cum ipsa absoluta veritate, nec cum verioribus, nec etiã cum Alphonsinis tabulis, congruit.  
pag. 5.

Addo & hoc. Nouum kalendarium omni planè fundamento destitui, adeoq; limosa arena, seu lutulenta cœno superstructum esse: ex eo (alijs ommissis) sit manifestum, quòd ipsum etiam à tabulis Alphonsinis deficit. Nam cum post correctionem æquinoctium dicatur in 21. Martij diem esse reductum, oportet id prius in 11. Martij hæsisse. At Alphonsina tabula id non in 11. sed in 10. diem Martij reponunt. Alias rationes hic iam prætereo, quarum aliquas Examine meo recensui, quo loco certitudini & Authoritati noui kalendarij tantum derogare ausus non fui, quantū Possuinus propria sua confessione detrahit. Iam nunc, Possuine, rursus vides, quàm putidum sit tuum kalendarium, cuius fundamenta omniratione destituuntur.

Verum eo conatu comprobatur ipsomet calculo Astronomico 21. diem permanere intermedium inter vtramque exorbitationem versus 19. & 24. dies Martij.) Heus Possuine, vbi denuò candor? vbi integritas tua? vbi fides etiam politica? An non te pudet in re meridiana luce clariore tam audacter crimen falsi committere? Quaso vnde tibi hoc egregium artificium aliorum verba tam malitiosè citandi & interpretandi? Annon ipso facto demonstras, te eo Magistro vsurum, qui Matth. 4. aduersus Christum Dominum Sacra Scriptura testimonium (detruncatis ijs verbis,

que

Possuinus verba apta nimis impudenter peruertit.

quæ sibi aduersabatur) citat, videlicet Patre Mendacij, qui Διάβολος dicitur?

Examine meo pag. 16. hæc verba scripsi. Addo & hoc, quod vos considerare velim. Hoc nostro QUIDEM seculo, dum apogæum Solis adhuc circa solstitium æstiuum moratur, fit: vt prosthaphæresis annuæ anomalæ, quæ debetur motui eius die æquinoctij verni, fit non tantum addēda, sed etiam propè maxima: Idcirco ipsum æquinoctium vernum verum propter prosthaphæresin æquinoctiorum aliàs addendam, aliàs subtrahendam, nutat à die 21. reciprocè ad 19. & ad 23. Martij, &c. Quibus verbis per concessionem largior quidem, diem æquinoctij, hoc nostro seculo non tantum esse in 21. Martij, sed etiam ab eodem in 19. & 23. dies Martij nutare. At concessionem illam secundum quid, tu Possuine, nimis malitiosè, ne dicam perfidè, vt simplicem calumniaris, licet totus ille contextus, eiusq; omnia & singula & præcedentia, & sequentia verba, contrarium à tua peruersissima interpretatione sensum euincant. Illis ipsis verbis ratio meæ concessionis liquidè recitatur, videlicet quòd propter binas prosthaphæreses, alteram anomalæ Solis annuæ, alteram punctorum æquinoctialium, HOC NOSTRO QUIDEM SECVLO sic inter se congregantes, id fiat. Nam prior illa, propter apogæum Solis circa solstitium æstiuum, reponit æquinoctium hoc seculo in 21. Martij, altera autem facit illud reciprocare in 19. & 23. eiusdem. Vides ergo, Possuine, quòd 21. diem nequaquam faciam simpliciter mediū locum huius exorbitationis ad 19. & 24. Martij, sicut malitiosè mihi affingis. Sed medium huius reciprocationis locum determinavi (eādē pag. 19) paucis antè, diem non 21. sed 23. Martij, ex quo æquinoctia vera recedat in 19. & in 27. dies Martij, sicut supra etiam dictum est. Hæc, Possuine, vt materiam calumniandi haberes, dolosè dissimulas, & retices. Ita mox pag. 17. lin. 2. hæc sequuntur verba: Hinc necessariò subsequetur, vt reciproca æquinoctialis diēi nutatio non amplius dependeat à 21. Martij, sed transeat in diem 22. 23. 24. vsque in 25. eiusdem, à singulis eorum similiter biduo antè & biduo post nutando. Itaque futurum erit (loquor denuo ex sententia noui kalendarij, quod nullum diem nouissimū habet) vt æquinoctium vernum verum diem 21. Martij tandem penitus deserat, adeo vt etiam nulla nutatione eum amplius attingere possit. Fiet autem hoc circa annum Christi 4700. Quāquam enim hoc idem æquinoctium intereā maiorem huius temporis partē conficiet extra diem 21. Martij, vagādo per 20. 22. 23. 24. & 25. interdum tamen

reciprocabitur rursus in 21. eiusdē, verum vbi ad annum 4700. peruentum fuerit, reditus eius ad 21. Martij, nullus vnquam amplius expectandus erit, donec 15000. anni post Christum fuerint completi, &c. *Et ibidem in margine.* Aequinoctium maiori temporis parte versabitur extra 21. Martij, vsque ad 4700. annum, inde ab eo per 10000. annos non amplius in 21. Martij, redibit.

Vides, Possuine, quis homo sis, qui absque fronte, absq; pudore, mera calumniandi libidine, vt pessima causa contra conscientiam patrocineris, vanissimus esse rubore non suffunderis. Quod si ex priuato scripto hac adduxisses, cuius non omnibus posset esse copia, nequitiam istam forsā celare posses: nemo enim te ista tam perfricta fronte fingere posse crederet. Verum cum in eo, quod publicum est, quod omnibus ad manus esse potest, tam audax sis: quid in alijs rebus fidei tuae tunc concedi poterit? An non metuisti, te hoc ipso scripto tuo aliquos etiam tuorum excitaturum, vt illud meum examen diligentius legant: at vbi contrario deprahenso vanitatem tuam, cum calumniandi libidine coniunctam, cognoscent: te odisse, & viuis tuis coloribus passim depingere incipiant?

Vides ergo quā falsē dixeris, me Gregorianum computum ipso calculo Astronomico astruere magis, quā negare, confirmare quā infirmare. Nam euidentissimis rationibus, quas nec tu, nec tui soluetis, luculenter demonstravi, istam Chimera vestra notationem inter omnes alias annorum ciuiliū computationes longē omnium falsissimam, foedissimam & vitiosissimā esse. Quamobrem in presentis huius meae Defensionis inscriptione rectissimē in te retorqueo tui scripti, seu capitis X. argumētum: quod nimirum isto tuo in me scripto non solum imperitiam & vanitatem tuam ( addo etiam virulentam nequitiam, qua contra conscientie dictamen falsissima scribere & publicare te non pudet ) prodideris: Verum etiam, licet inuitum, & non cogitantem ( vtpote à Deo datum in reprobum sensum ) nouum vestrum kalendarium ad interuersionem prostraueris & confuderis, atq; hoc ipso simul tam te, quā Gregorianam istam putidissimam emendationem, quā etiam eiusdem Authores, omnium risui & contemptui exposueris.

Hac tibi, Possuine, hoc breui scripto respondenda duxi, non quod te tam impudenter calumniantem vllō responso dignum iudicauerim, nam meum illud Examen, cui tu ineptē insultas, satis pro sese respondet, adeo vt quisquis id legerit, deprauationes tuas, agnoscere possit: sed quia necessitas postulat, vt animi tui vanitas detegatur apud eos, qui rerū Astronomicarum ignari, Examinis mei rationes aut non assequuntur, aut legere prohibentur: ne tu tuiq; similes

Quod Possuini Iesuitis & malitiosus inoptis respondendū fuerit.

miles posthac eis vel lenocinio verborum, vel calumnijs tam facile fucū facere possitis. Etenim vos apud vestros quavis tentare dubium non est, cum ista palam scibere non erubueris. Huc accedit, quod meā etiam interest vanam tuam gloriationem confundere. Nam non est vt dubitem, quin apud tuos hoc tuo responso mirificè te efferas, quasi rationes mei scripti solidè confutaueris, & simul meo ceu Aduersarij, licet non cogitantis (vt ais) testimonio, ex computo Astronomico deducto, vestrum vitiosissimum kalendarium confirmaueris. Quòd si ergo ego tacuero: non tu saltem vt victor in sinum gaudebis, sed etiā ij, quibus vestri kalendarij defensio aduersus me mandata fuerat, ipsi verò se respondendo nullo modo pares esse animaduertant, occasione hac mei silentij arrepta, mandata detrectabunt, quasi vltiori responso non sim dignus, vt-pote qui tuo responso abundè conuictus respondere non possim: Interim ergo ipsi vnà tecum, quem haud dubiò in hunc euentum, velut Emissarium seu exploratorem promiserunt, vt hoc pretextu moras neccendi aliquam causam habere videantur, victores putabuntur. Vos enim, si non omnia, attamen pleraq; inter vos communicato consilio agere, notissimum est, vtinam autem tanta apud vos esset pietas, candor, integritas, & fides saltem politica, quanta animorum coniunctio: certè hoc scriptum tuum in me non exisset.

Sin verò vel Christophorus Clavius Iesuita, vel quicumq; alius, dilutionem mearum Astronomicarum demonstrationum aduersus vestrum kalendarium, tandem publicauerit, & ex fontibus huius negocij me aliud docuerit: ego veritati lubentissimè cedam, eius enim auctoritas apud me sola valet. Si verò meliora quàm tu non attulerint, iam nunc hic eis simul responsum esto. Verùm ipsos non validiora allaturos certus sum, nam te Emissariū tela ex ipsorū pharetra deprompsisse non ambigo, vnde ex hisce tuis, de ceteris facile mihi est iudicium: Ego verò in hanc harenam tam imperterritus nunquam descendissem, nisi me & veritate rei, & certitudine demonstrationum sufficientissimè vndiq; stipatum sciuissem, contra verò vestram causam prima fronte insolētissimam, at in recessu nimis languidam esse, iam antequam prodirem, certò cognouissem. Forti igitur animo eos quicumq; sint expecto, Hic Rhodus, hic saltus.

Deum Opt. Max. ardentibus votis imploro, vt has turbas putidissimo hac vestro kalendario per vos nefariam motas, clementer ad neminis sui gloriam componere, vobisq; meliorem mentem, tētos vestras errores non pertinaciter defendēdi, nedum propagandi, sed agnoscendi & corrigendi largiri dignetur, vt tandem malo huic pessimo exoptatus finis imponatur. Cui sit laus, honos & gloria in omne auum. A M E N.

Oportet illud respōsum esse valde neruosum, vt pōte quòd Authores eius toto biennio, ceu Elephantinum partum id parturiant.